



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

§ 9. Libera Electio Monasterio semper confirmata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

uitate Treurenfi. Ex antiquis quoque Originalibus doceri potest, de oppidi suburbijque Maximiniani vicis & plateis varijs, v.g. de platea Tilix, de platea fori, germanicè die Landgassen/die Martgassen/de macello ciuium Maximinianorum &c. Adfunt litteræ de anno MCCCCLXXVII. veneris post Ioannis Baptistæ Natiuitatis, quibus inter Abbatem Roricum & Laniones Treurenfes conuentum est, licet Abbas, prout assererat & re ipsa faciebat, posset in Maximiniano municipio seu Burgo tot Laniones & Macella habere, quot illi liberet, nihilominus, vt exinde in Maximinianorum Burgo essent tantum quinque macella & totidem laniones, qui in ijs carnes venales proponerent, reseruata tamen libertate S. Maximini Burgo, vt post mortem Abbatis Rorici liceret ciuibus Maximinianis tot habere macella & laniones, quot liberet, verba originalis sic habent: *Vnd sein Wir mit ein also geschlichtet/ das furbas/ als lang Wir geleben in Sante Maximins Gericht/ gewalt vndd Freyheit/ fünff fleischbencke/ daruff man fleisch verkauffe/ vnd fünff Fleischmeger/ die daruff fleisch verkauffen/ sein sollen/ vnd nit mehr/ mit beuelenisse Vnsern Nachkommen vnd Gottsknyffe na Vnsern dober ob sie der fleischbencke vnd Fleischmeger mehr in Sante Maximins Irtheide vnd gewalt haben wülden.*

Id est.

Et ita inter nos conuentum est, vt deinceps quamdiu viuemus sub Sancti Maximini iure, potestate & immunitate, quinque macella, in quibus caro ueneat & quinque laniones, qui in ysdem carnem vendant, esse debeant & non plures, reseruantes nostris Successoribus & Monasterio post obitum nostrum an plura macella & laniones in S. Maximini immunitate & potestate habere uellent.

§. 9. Libera Electio Monasterio semper confirmata.

AMULTIS sæculis peculiariter curæ fuit Imperatoribus, vt Monasterio huic electio libera Prælati, facta tecta maneret, proinde ea res merito Regalibus & quidem maximi momenti accensenda est. Neque verò eam rem Imperium tantopere cordi habuisset, nisi Monasterium hoc Insigne sui corporis membrum esse constaret. Perpende Imperatorum diplomata à nobis exhibita, passim libertatem eligendi videbis confirmatam. Nam præter Pipinum Regem sub Num. 3. ita decreuit Carolus Magnus sub Num. 4. Ludouicus Pius Num. 5. Otto Magnus in Moguntino Num. 7. Otto II. Num. 16. Otto III. Num. 18. S. Henricus Num. 19. Henricus Senior Num. 26. Henricus Junior Num. 31. & plures alij: in super ij, qui prædictorum Imperatorum priuilegia & Diplomata confirmarunt.

Imperatorum voluntati Pontifices Maximi assensi sunt, qui Abbatis in hoc Monasterio liberam Electionem esse voluerunt, vti videre est in Bulla Gregorij II. sub Num. 2. Ioannis XIII. sub Num. 14. Ioannis XV. sub Num. 17. & luculenter in ea quam Innocentius II. concessit, vbi hæc verba leges, *Obeunte uero te eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus inibi qualibet subreptionis astutia, seu uolentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu seu pars consilij sanioris secundum DEI Timorem & B. Benedicti Regulam præuiderint eligendum.* vide Bullam sub Nu. 33.

Quanto uero studio & cura impediuerint Imperatores, si quando per uniones vel incorporaciones aliqui potentiores liberam Electionem extinguere vel diuertere sunt conati, apparet ex litteris Caroli V. Cæsaris N. 65. & Ferdinandi I. N. 66. Quod ratione Aduocatix & hæreditariæ protectionis etiam Philippus II. Magnus ille Hispaniarum Rex cordi habuit, vti apparet ex eius ad Conuentum S. Maximini datis litteris Num. 71.